

...Alexandro in tabernaculum relato, medici lignum sagittae corpori inixum  
abscidunt. Corpore deinde nudato, animadvertunt hamos inesse telo, nec aliter id  
sine pernicie corporis extrahi posse quam secando vulnus. Ceterum verebantur ne,  
secantes, proluvium sanguinis ederetur: quippe telum penetravisse in viscera  
videbatur. Critobulus, inter medicos artis eximiae, sed in tanto periculo territus,  
metuebat ne in ipsius caput parum prosperae curationis recideret eventus.  
Lacrimantem eum ac metuentem rex conspexerat: "Quid", inquit, "exspectas? Quid  
non quam primum hoc dolore me moritum saltem liberas? An times ne reus sis,  
cum insanabile vulnus acceperim?". Critobulus tandem, vel inito vel dissimulato  
metu, latius vulnus patefecit et spiculum evellit; ingens vis sanguinis manare coepit  
linquique animo rex et velut moribundus extendi. Clamor simul atque ploratus  
amicorum oritur regem expiravisse credentium. Tandem constitit sanguis,  
paulatimque rex animum recepit et circumstantes coepit agnoscere.

Quintus Curtius Rufus

Historiarum Alexandri Magni - Liber IX - 5